

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri  
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta  
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Thomas.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

ista jam non sunt ferenda : injiciamus ei manus, qui stamus? Papæ ubi est? nusquam est: ubi est? evanuit in auram, præstigiator, at non semper evadet: tenebitur aliquando.

## SENTENTIA.

*Quæ non intelligunt damnant imperiti. Homi-  
cidia sua religionis nomine prætexunt simulatores.  
Vera dicta habet mundus pro impiis.*

THOMAS. Joan. II.

## ARGUMENTVM.

Jesus discipulos suos se comitari jubet euntem ad Lazarum in vitam revocandum.

*Jesus, Discipuli, Thomas.*

**A**beamus iterum in Judæam. *D.* Magister, modo te volebant lapidare Judæi, & eodem redis? *I.* Diei horæ sunt duodecim. Qui interdiu iter facit, non offendit: utitur enim communi hac luce. Qui autem noctu, offendit: caret enim lumine. Jam vero Lazarus ille noster amicus obdormivit: eum ego eo expergefatum. *D.* At si obdormivit, salvus est. *I.* Planius dicendum est. Lazarus mortuus est, id quod equidem <sup>a)</sup> vestra causa gaudeo, ut rei fidem adjungatis, cum sciatis me non adfuisse ibi. Sed eamus ad eum. *T.* Eamus & nos morituri cum eo.

SEN.

<sup>a)</sup> Qui magis mihi credetis eum suscitanti; quam credidissetis sananti; id quod fecissem, si ante ejus obitum hic fuisset.

## SENTENTIA.

*Christo mortuum excitare, tam facile est, quam homini dormientem. Christo mors somnus est.*

LAZARVS. Joan. II.

## ARGVMENTVM.

Jesus Lazarum in vitam suscitatur.

*Martha, Jesus, Maria, Judæi.*

Cum essem domi, allatus est mihi nuncius, advenire Jesum. Itaque ei extra vicum obviam procedo. Sed eum advenientem video: abibo & salutabo. O domine, si adfuisses hic, meus frater non fuisset mortuus. Sed nunc etiam scio, te quicquid a Deo petiveris, impetraturum esse. *Ie.* Reviviscet frater tuus. *Mar.* Scio ego revivisciturum, cum reviviscant homines in illo novissimo die. *Ie.* Ego sum resurrectio & vita, ita ut mihi confidentes omnes & a) mortui sint reviviscaturi, & vivi nunquam sint morituri. Credis hoc? *Mar.* Etiam Domine. Ego credo te esse Christum illum Dei filium, orbi expectatum. Sed eo evocatum Mariam sororem meam, quæ domi misera luctu tabescit. *Ie.* Quam multa acerba, & perperam aspera evenire in hominum vita necesse est? Me miserescit harum miserandarum muliercularum, quæ charissimi fratris morte concussæ, mœrore conficiuntur: & jam ad me, sicut ad certum asylum confugient, openque meam & præ-

a) Si mortui fuerint.